



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Victorii Explicationes suarum in Catonem, Varronem, Columellam Castigationum**

**Vettori, Pietro**

**Lvgdvni, 1542**

In M. Varronis, Rervm Rvsticarvm Librvm II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12981**

# IN M. VARRO.

NIS, RERVM RV-

STICARVM

LIBRVM

II.



**C**OLONI ut ea quæ in agricul- 134  
tura nascantur. Receptam lectionem  
retinui, nunc ueterem hîc adponam, quæ  
à communi ualde diuersa est, pessimè ta-  
men & illa accepta : quod etiã diligens  
librarius cognouit, notam enim mendi ad eam adposuit:  
Coloni æquæ agricultura factum ut nascerentur  
è terra contra pastoris ea, quæ nata ex pecore qua-  
rum, &c. Statuent nunc studiosi, peruulgata ne lectio  
probari debeat, an pro desperato hic locus haberi.

Qua de re pecuaria. Omnes, quos uidi, codices con- 134  
sentiunt, quare temerè aliquid uariare hic nolui : nunc  
quid suspicer me posse sine culpa proferre arbitror. Opi-  
nor commutato ordine uerborum Quare de pecuaria,  
legi debere : nec tamen ita meam sententiam amo, ut non  
doctiorum iudicia in hac re sequi malim.

Cum Mænates discelsisset. Ante hunc locum in 134  
optimo codice maioribus literis hæc uerba scripta sunt,  
HIC INTERMISIMVS. In cunctis etiam alijs  
manu scriptis ipsa inueni. Quid illis significare librarius  
uoluerit, affirmare non ausim. Vereor ne aliquid hîc de-  
esse ostendant, nam initium mihi huius sermonis nimis  
abruptum uidetur.

Cum petam fessum, Maculosus hic locus in anti- 135  
quis

quis exemplaribus est, & in omnium optimo, nota adposita, damnatus. Receptam hinc etiam lectionem conseruauit ueterem nunc, cuiusmodi illa est, studiosis exponam. Cum poetam solum uisere uenissemus ne medici aduentus nos inredisset.

135 Qui estis epirotici pecuarij. Auxilio fidelissimi codicis hic locus, turpiter in excusis diuulsus, ac fœdatus, restituitur: ne quis autem me addidisse aliquid, aut distorsisse putet, ueterem scripturam adducam. Qui estis pecuriathietæ remune remininos ac, &c. Quam possit sine ullo periculo ita corrigi, facile omnes uidere arbitror, una tantum in parte industria opus fuit, ut ex Athietæ, Athletæ fieret. Maxime autem me confirmauit, quod animaduerti alibi id uerbum idem uitium habere, quod in excusis integrum erat: nam in eodem exemplari ita locus ille tertij libri legitur, Nos athietæ comitorum, &c. pro, Athletæ. hoc autem & uitiosæ scripturæ, & locutionis Varroni familiaris aptissimum exemplum est, qui libenter hoc uocabulum Athleta ad alias res transferret. Sed hæc antea mendosissima, omni nunc macula carent, & aperta sunt, quare ad alia ueniamus.

135 Ac quæ scitis proferatis in medium. Elegantissimus modus loquendi, & quo sæpe etiam Cicero usus est: ipsum autem, aut à Græcis Latini scriptores acceperunt, aut natura duce eandem sententiam eadem figura protulerunt. Xenophon certè ita in symposio locutus est, ut M. Varro ab ipso hunc sermonem expressisse uideatur: καὶ ἐπιλέξω γὰρ ἐφ' ἑαυτῶν ἢ ἡμῶν ἀπαντῶν εἰς μίθῳ φέρηται ὁ, π' ἐκαστὸν ἐπίσταδε ἀγαθόν.

135 Et homines, & pecua. Pecua habent antiqui libri, non Pecudes: id autem ueteres crebro usurpabant, nec se ab eo

ab eo

ab eo uerbo abstinuit etiam Cicero, quemadmodum testimonio Seruij interpretis comperimus: is enim super illo Vergilij,

—mitte in Venerem pecuaria primus:

inquit: nam Pecua, ut ait in Pompeiana Cicero, ab eo quod est pecu uenit, ut à genu genua. Intelligit autem locum illum, qui nunc mendosè in cunctis impressis legitur: Etiã si irruptio facta nulla sit, tamẽ pecora relinquuntur.

Decerpendo glandes. In uetustissimo Decarpen- 135  
do, eadem ratione, qua antea ostendimus semper Aspar-  
go, & Conspargo in eo scriptum esse: & apud Catonem  
etiam hoc ipsum uerbum Decarpo, contra nostrorum  
temporum consuetudinem.

Ad cibum enim lacte, & caseum. Sunt excusi e- 135  
tiam libri in quibus ita legatur: nam in alijs Lac, men-  
dosè legitur: hæc enim uetus est scriptura. Et indicio No-  
nij, & aliorum Grammaticorum cognoscimus, M. Var-  
ronem aliàs ita locutum esse: ut Andabatis, Candidum la-  
cte papilla cum fluit.

Ibi processerunt longè, dum ad nos perueniret. 136  
Ita coniectura ductus emendaui: ante in excusis, & ma-  
nu scriptis, Dum annus perueniret. ex qua lectione  
nullum idoneum sensum elicere poteramus: ex hac autem,  
nisi fallor, egregium. Queritur occultè M. Varro de mo-  
ribus sui temporis, quemadmodum etiam in prima huius  
libri parte: cum enim uitam superiorum hominum expli-  
casset, & quibus rebus illi uescerentur docuisset, addidit,  
in tertio gradu eos longè processisse, nec in primis agri-  
colarum institutis mansisse, sed ad peiora semper, delica-  
tioraq; uenisse, donec huc, inquit, res deducta est: nam su-  
pra etiam, A summa memoria gradatim descendisse ad  
hanc

hanc etatem. Donec ad nos peruenirent, inquit. ut hoc in libro, cum de uerre ageret, Quoad perueniat ad lanium. & in v. de lingua Latina, Hinc ad pecudis carnem peruentum est. nec non in v i i i. non longè ab initio, Id non peruenit ad nos. Qui nostram coniecturam non probabunt, sedulitatem, fidemq; uerè accusare non poterunt.

136 Circum Fiscellum & Terricam montes. Antea in excusis mendosè Fiscelium: ueterem igitur scripturam reposui. nam in illo etiam loco huius in iisdem antiquis libris ita legitur, In Sauracti Fiscello caprae ferae sunt. apud Plinium etiam libro tertio capite x i i. è monte Fiscello labens iuxta Vacunae nemora.

136 Quam sibi Thyestem subduxe queritur. In antiquis libris imminuto uerbo Subduxe, legitur. Apud Terentium quoque Adelphis hoc uerbum καὶ ἀ συγχοπέω pronuntiatum fuit: Non tu eum rus hinc modò produxe diebas? Pacuuij uersus, quibus fratrem accusat, & hanc iniuriam queritur apud Ciceronem sunt in i i i. de natura Deorum.

136 Vox earum non me, sed be, &c. Totum hunc locum è uetustis libris restitui. Laudat qui uocem ouium secuti Belare illas dixerunt: nam Graeci, qui à uoce eas μίλα appellarunt, non tam commodè uocem earum expresserunt: non enim me, sed be, sonare uidentur, inquit Varro. Nec tamen Graeci ignorabant oues be, non me, sonare. id intelligitur ex uersiculo Cratini, comici Poetae, qui adducitur ab Eusthatio in x. librum Iliadis. Eruditi, ac copiosi interpretis uerba haec sunt: οἱ δ' αὐτοὶ φασὶν ὁμοίως μιμητικῶς καὶ βῆ ἢ μὲν βαί. μίμησιν προβάτων φωνῆς, κρατίνου, ὃ δ' ἡλίθιου παρὰ πρόβατον βῆ λέγων βαδίσει.

137 Quod dicuntur anni caprae. Vetus lectio, Vt anni  
ni cap

ni capræ. Id autem quod hic à Varrone traditur Fe-  
nestella quoque diligens rerum Rom. auctor docuerat.  
Ostendit hoc Plutarchus in commentario, quo ueteres ri-  
tus Romanorum explicauit : διὸ καὶ τῶν ὀνομάτων πολλὰ  
τοῖς παλαιοῖς σύλλοι καὶ βιβλοκρί καὶ πόρτικοι ἦσαν ὡς φαί-  
νεσθαι ἀρκερ.

Itaq; minoris emitis anniculam. Quam secutus <sup>138</sup>  
sum lectionē, & excusi nonnulli habebant, & manu scri-  
pti omnes : quidam tamen, ut arbitror, dum corrigere uo-  
luerunt, deprauarunt. Ea mihi sanè correctione egere non  
uidetur : in uetustissimo hoc tantum diuersum erat, quod  
Emptis, pro Emitis, in eo scriptum est, mendosè tamen,  
ut puto.

Asini arcadicí. In manu scriptis Arcadi : Arcadij, <sup>138</sup>  
ex antiqua scriptura legi posset, ut supra Pecuari, pro  
Pecuarij, Statili, pro Statilij : nam hoc etiam ueteres li-  
brarij hic seruabant, quod Poëta in secundo casu illorum  
nominum, quæ geminatam literã illam haberent, frequen-  
ter usurparunt, alterum enim I, subtrahebant : ea enim  
ratione ab optimo poëta, Tuguri, Peculi, Patavi, Oti, di-  
ctum est : nam Arcadium etiã ab Arcadia declinari eius-  
dem Poëta Versu hoc confirmari potest,

Tempus & Arcadij memoranda inuenta magistri.

Alias stipulandum statim esse è uoletudinario. <sup>138</sup>  
In nullis manu scriptis postrema hac duo uerba inueni-  
mus, nec tamen è nostris scriptis ea deiecimus : quid de il-  
lis existimandum sit, studiosi uiri uidebunt.

Et quando, è quis. Locus deprauatus corrigi de- <sup>139</sup>  
bet, ut in optimo exemplari, alijsq; nonnullis legitur. Et  
quando, & qui ut &c. Qui, Varro modum, ac ra-  
tionem uocat : nam politissimos scriptores Qui, pro Quo  
modo

modo passim ponere notum est. Ostenderit in pastione tria obseruanda esse: primum, locum; secundum, tempus; tertium, modum, ac rationem alendi. Infra etiam postquam, quod ad locum, tempusq; anni pertinebat exposuit, inquit, Qui potissimum quæq; pecudum pascatur, habenda ratio. In peruulgata lectione triplicis rationis, quæ necessaria esse dicitur, tertium membrum non inuenitur, quare pro mendosa illa habenda est.

139 Lege censoria committant. muli è Rosea campestri, &c. Hunc locum foedè inquinatum, nisi fallor, egregiè restitui, atque id parua licentia usus: ut autem hoc facilius intelligatur, ueriusq; de synceritate huius loci iudicetur, ueterem scripturam adferam. Vetustissimum exemplar, Mulieros & à campestri, &c. nam in alijs corruptior illa pars est, Mulieres enim habent. Quemadmodum igitur uides, uerba confusa distinxi, unamq; tantum literam inde sustuli, uerum sensus præclarus totam rem, ut spero, illustrabit, & castigationem meam constituet: nam quin peruulgata lectio mendosissima fuerit, neminem dubitare puto. Locus ille etiam in hoc libro mirifice cōiecturam nostram adiuuat, ubi de mulis agit Varro: iidem si exacti sunt æstiuo tempore in montes, quod fit in agro Reatino, durissimis unguis fiunt. Roseam autem campestem fuisse declarat etiam uox ualdè celebrata Cesaris Vopisci, qui Campos Roseæ, Italiæ dixit esse sumen. Committere lege, ut arbitror, dixit Varro, quod Cicero sæpenumero, Committere contra legem.

139 In Gurgures altos montes. Gurgures in manuscriptis inueni, antea excusi Burbures habebant.

140 Vbi est oppidum Olisippo. In optimo exemplari Obsippo: apud Plinium tamen, ut in excusis, lib. IIII. capit

capite xxi. Olysiippo equarum è Fauonio uento conceptu, nobile.

Et quando non ualet sæpe magna gregem, &c. 140  
 Receptam lectionem retinui, uetustam nunc studiosis exponam, quam sanè mendum aliquod cōtinere omnino credo: contra autem peruulgata plana est: id tantum mali in illa, quòd ab antiqua dissentit: Et quoniam non ualet sæpe magna adficiuntur calamitate.

Qui siue ex æstu, siue ex labore. Vitiosi sunt hac 140  
 parte antiqui codices, communis lectio aperta, si modo illa uera est, & non ab aliquo correctore conformata: Qui si è labore febrem habent ad apertum humido spiritu, &c.

Quot reiculæ sint alienandæ. In cunctis manu 141  
 scriptis Quot epulæ, scriptum inueni: quod non parum miratus sum, quomodo idem mendum in tot bonis libris inoleuisset.

In Iudæa, in Italia non posse. Vetus lectio, In iu- 142  
 rea, castigauit ex ingenio, rem ipsam secutus, In Iudæa. Plinius libro xiii. capite iiii. Iudæa incluta est uel maxime palmis. Item sunt quidem in Europa, uulgoq; Italia, sed steriles.

A Pergamide Maledo'ue. Hic locus antè mendosissimus & erat, & existimabatur, nota etiam adposita damnatus fuerat: ipse ueterem lectionem reposui, quam integram esse arbitror: ut Pergamis, Maledisq; nomina locorum in Epiro sint. Respondet autem superiori illi, qui nostra itè opera emendatus est. Dixerat enim Scrofa, Sed hæc à nobis ita accipietis, ut uos, qui estis Epirotici pecuarij, &c. Idem igitur nunc ait, Nunc rursus uos red- 142  
 dite nobis, ò Epirote, de unaquaq; re. Iocatur autem,

f ut omz



- ut omnem occasionem nactus facit: maiora enim & eruditiora expectabantur ab Epiroticis pecuarijs. Saltus igitur appellat in quibus pecus pascere soliti essent.
- ¶ 42 Cognomine eodem. Ita emendavi ex ingenio: multa autem mihi, ut hoc auderem, persuaserunt. Si ita locutus M. Varro esset, ut in excusis erat Cum nomine, in *καὶ μὲν* incidisset, ac rem obscœnam protulisset: iunctura enim deformiter sonat. Præterea Atticus nomen non erat, sed cognomen: hoc etiam non paruum argumentum est contra eiectam lectionem. Initio etiam commentarij de Senectute Cicero Titum ipsum alloquens inquit, Teq; non cognomen solum Athenis deportasse, &c.
- ¶ 42 Quoniam in me uidere coniecisse oculos. Ita erat in manu scriptis, & ita scribi uolui. Videre, pro *videris*, cepit: ut in illo etiam loco, qui est, ubi agit de suis, Ignorare, inquit, uidere, cur appeller Scrofa. Sic enim illic etiam habent antiqui codices.
- ¶ 42 Et dicam de primigenia pecuaria. Vetus hæc est lectio, quam magis probo. Antea in excusis, Et dicam primigenia pecuarie. Primigenia uerba appellare M. Varro in v. 1. de lingua Latina libro, quæ non sunt ab aliquo declinata, manifestum est: & Primigeniam consuetudinem uictus, in primo libro de uita Populi Rom. priscam, & ueterem: locus autem apud Nonium de mutata declinatione legitur. quare eadem ratione nunc Primigeniam pecuariam, dixisse puto. Sex. quoq; Pompeius Primigenium sulcum, uocari solitum tradit.
- ¶ 42 Item binæ pro singulis, ut procedant. Prodant, antea corruptè legebatur: in manu scriptis omnibus procedant, inueni: Procedant numerentur significat, greges enim ouium magni non bene numerari possent, si eodem

eodem loco manerent : quare consuetudinem habent pastores, claudere gregem, & dum emittunt, numerare, aliter enim rursus confunderentur : nam Procedere ulterius se ferre significare, manifestum est, uel hoc exemplo Vergilij,

Parcite oues nimium procedere.

Et expromisit numos. Vetus hæc lectio : antea, 143  
Exprompsit. Expromittere uerbum iuri accommodatum est.

Ex empto uendito illum damnare. Ita in manu 143  
scriptis omnibus scriptum inueni. Titulum iuris fuisse puto : Nam in xix. libro Pandectarum, iisdem pene uerbis nunc quoque appellatur. De actionibus empti, & uenditi. In III. etiam de natura Deorum Cicero: Reliqua quæ ex empto aut uendito, aut conducto, aut locato contra fidem fiunt.

Quo incientes secludere possis. Vetus lectio 144  
Incientes, quæ & ipsa mendum habebat, quod tamen sine periculo tolli potuerit. Incientes, igitur emendauit, una tantum litera ex ea dictione sublata. Sunt autem Incientes propinqua partui, ut Sex. Pompeius docet.

Meridianam quæ est aridior iucunditate præstat. 144  
In excusis antea Meridianæ. Præstare tamen aliquam rem, id est, uincere, ac superare, ueteres dixerunt. Initio etiam tertij libri sic locus ille in antiquis legitur, Immani numero annorum urbanos agricolæ præstant.

Inigunt in ea stabula. Mendosè antea, Inijciunt: 145  
ut enim hoc uerbum ualdè accommodatum, ita illud alienum.

Ut agni satulli fiant lacte. Vetus hæc lectio, quam 145  
ueram puto : ideoq; communi expuncta, hanc in suam se-

dem reduxi. Satullare etiam uerbum usurpauit Varro, apud Nonium <sup>1289</sup> πρὶ ἀίσιονωρ: Neque in puluere nitico coquam carnem, quibus satullem corpora, ac famem uentris.

146 Aut adipe suilla. Vetus lectio, quam Priscianus etiam agnoscit, qui tradit uetustissimos multa huiuscemodi nomina & uirili, & muliebri etiam genere protulisse: & de adipe utitur auctoritate M. Varronis in 11. libro Rerum rusticarum.

146 Viciam molitam. Mendosè anted, Mollitam. Lucilius libro XXI, apud Nonium <sup>1342</sup>. Fouere ex molito hordeo. Iterum hoc ipso in libro idem error, & eodem pacto correctus, auctoritate eorundem codicum.

146 Aut herbam teneram. Contaminatus in extrema est dictione optimus liber, Tenentiam enim habet: receptam lectionem retinui: emendari fortasse non incommode posset Tenellam: sunt tamen manu scripti, qui Teneram, habent.

146 Antequàm calores, aut frigora se exegerunt. Vetus lectio Eregerunt: fortasse, Fregerunt: notum enim iam omnibus, quemadmodum antiqui librarij propter similitudinem illarum literarum in Romana uetere scriptura saepe lapsi sint, & F, pro E, contraq; scripserint. In optimo exemplari sic locus hic legitur è secundo hoc libro, Optimæ elutæ sunt in Sicilia, cum Flutæ, legi debeat. Nihil uariaui, leuem tamen suspicionem meam ex diuersitate lectionum ortam significare uolui. Cicero de æstu meridiano hoc uerbo usus est, lib. 1. de Oratore, Ad extremum Scaeuola paulum requiescet, dum se calor frangat.

146 In ouibus pellitis. Cum in Megarensi agro pellibus intectas oues spectasset Diogenes, Megarensium autem liber

liberos iudos ob mendicitatem passim uideret, facete dixit prestare Megarensis arietem esse, quam filium. Cui similem uocem postea fortunatissimus Romanorum Imperator de immiti rege Iudaeorum edidit. Diogenis ἀπόφθεγμα ab Laertio in ipsius uita relatum est. Quas pellitas oues M. Varro, ille πρόβατα λέγουσιν ἐσκεπασμένα appellat.

Ut sunt Tarentinæ, & Atticæ. In antiquioribus cunctis Atticæ, inuenimus: in nullis, ut antea in excusis legebatur, Altinates. Lanam Atticam nobilem fuisse testimonio etiam Latini Poëta scimus. apud Nonium Laberius paupertate: Nihil refert mollem è lanitia Attica, an pecore ex hircorum uestitum geras. Eandem in magno pretio habitam Plutarchus quoque ostendit in commentario περί τῆ ἀκροῦς, his uerbis: Μη ὃ ἰμάντιον περίβαλεθ, εἰ μὴ πρόβατων ἀττικῶν εἴη ἢ ἕτερον.

Vel lauari, ac parari. Communem lectionem retinui: quam uerò in antiquioribus libris inueni, nunc ostendam: in illis enim Putari, pro Parari, legitur: in optimo tamē codice mendi nota ad hunc locum adposita est: non multo ante ubi in excusis, Sole exorto puro, scriptum erat, in iisdem uetustis, Puro. Putum, antiquos pro Purum dixisse, notum est. Sext. etiam Pompeius inquit, Imputatum non dum purgatum: quare arbitror ueterem scripturam rectam esse.

Et genit lac. De sanitate. In optimo codice, Genit lacte, Sanitate. Verbum Genit, sepe iam à Varrone usurpatum, recepimus: formis autem excusi antea Gignit habebant: nec nos sefellit ante ipsum, Lacte, nominandi casu dixisse: ueruntamen quia locus maculosus erat (De, enim quod hic necessarium uidetur, non erat) existimauimus in hoc peccare librarium potuisse, & pro de, te,

f 3 scrip

scripsisse, atque incommode cum priore uerbo coniunxisse: potest etiam recte in antiquis Lacte, scriptum esse, ut præpositio defecerit. Si quidem animaduertimus (nihil enim relinquere uolumus, quod possit studiosos adiuuare) in sequente capite, ubi in excusis, De forma uidendum, legitur, in eodem uetustissimo libro, alijsq; nonnullis, Forma uidendum, sine præpositione scriptum esse: quare cogitabunt studiosi, an defendi lectio illa possit. Sunt tamen manu scripti, qui cum excusis utroq; loco faciunt.

147 Ut mammulas penfiles habeant. Ita in antiquis inuenimus, in excusis antea Mamillas. Sex. etiam Pompeius inquit, à Mamma, Mammulam, & Mamillam.

147 De emptione aliter, atq; de ouibus dico. Vetus lectio, De emptione aliter dico atq; fiet. scribi debere puto, Aliter dico, atq; fit. Hoc intellectu, ut ostendat se contra consuetudinem hominum sentire, qui sanas capras stulte promittant, cum illæ sanæ ne puncto quidem temporis sint. Alijs ipsas uitijs carere promitti sine fraude potest, cum carent: De sanitate, falsum & improbum est.

148 Ac Mamilius scriptum reliquit. Ita emendauimus ex uetustis codicibus, cum antea Manilius scriptum esset. ut hoc ipso in libro iterum, Qui Mamilij actiones sequuntur lanij. sed etiam tertio capite de equis, Ut in Mamilij actionibus sunt perscripta. Quorum librorum auctoritate intelligitur nos recte fecisse, qui quondam in primo libro de Oratore, ubi Manilianas uenaliuum uendendorum leges, scriptum erat, Mamilianas emendauimus. quod etiam in primo libro de Finib. faciendum est: adhuc enim illic corruptum hoc nomen: Differetur inter principes ciuitatis P. Scaeuolam M. q; Mamilium.

148 Quod etiam Archelaus scribit. Plinius quoq; libro

bro VIII. capite L. auribus eas spirare, non naribus: nec unquam febrī carere, Archelaus auctor est. Aristoteles tamen libro primo de Historia animalium, Alcmaeonem hoc scripsisse tradit, quem etiam mendacij insinulat: ἀλκμαίων ὃ δὲ ἀληθῆ λέγει φάρμακον ἀναπνῆν τὰς ἀγῆας καὶ τὰ ὕδα.

Tantum enim fefellerit. In excusis antea, Fefellit: 149  
in cunctis manu scriptis, Fefellerit, scriptum inueni: quare tantum librorum consensum non spreui, atque ita scribi uolui. Admonet Eusihatius, Homeri copiosus interpretes, Atticos sepe, quos Modos appellant Grammatici, uariasse, et pro Indicandi, modum Optandi usurpasse. Exempla ab eo adlata hæc sunt: ἐπεὶ ἔλθοι ὁ δαίνα ἦτοι ἦλθεῖν καὶ ὅς ὃ λαλήθη ἀντὶ τοῦ ἐλάλησεν καὶ ἄλλα θιούτα. hæc enim addit, οὕτω καὶ ὅ δὲ, καὶ ἢ γὰρ ἄρ νῦν ὕστατα λωβήσαιο ἀντὶ τοῦ τὰ ὕστατα ἄρ ἐλωβήσω ἢ γὰρ ἐλώβηθες. Huiuscemodi quodam sermone potuit M. Varro uti, et nisi plena omnia macularum essent, et hæc omnes rariores locutiones ab imperitis grammaticis è libris excusis sublatae essent, huius etiam sermonis plura exempla occurrerent.

Nec me esse ab Eumæo ortum. Hæc uera, ut ar- 149  
bitror, lectio est, è uetustissimis, optimisq; libris eruta. cōmunis eruditos etiam uiros fallere potuisset: erat enim ab his, qui è ueteribus uestigijs ueram elicere nō potuerant, satis concinnè conformata. Prisca igitur huius loci scriptura, Nec me esse ab eum æuo ortum. Vna igitur sublata litera, totum locum correximus: nam elegantia huius lectionis, cum sensu quem præ se ferebat uulgaris, comparari non potest. Eumæum subulcum Ulyssis fuisse, mediocriter etiam literati sciunt: qui rem familiarem

heri fideliter administravit, & cum eo, quem tamen non dum agnouerat, longum sermonem in XIII. libro Odysseæ habuit. Hanc etiam emendationem confirmat, quod antea dixerat, Accipe à me cum Homericò Melanthio, &c. Iocabatur enim optimus, & eruditissimus senex.

150 Si formosi sunt uerres, & scrofa. In optimo exemplari Verris: nec multò post iterum Verris, eodem casu, in eodem libro, Verris octo mensium incipit salire. Quædam quæ hic emendauit, adeo plana sunt, ut confirmatione non egeant.

151. Usque ad primum: deinde it retro, quoad perueniat ad lanium. Hic locus in excusis codicibus ualde uariatus erat, culpa, ut puto, sinistrorum quorundam correctorum: in antiquis illum integrum inueni. Id, tantum in illis pro It, scriptum erat: quæ scriptura in priscis exemplaribus frequens est. It retro, deterior fit: ut Vergilius etiam,

In peius ruere, & retro sublapsa referri.

Plinius de suis inquit, Mares non ultra trimatum generant. Quamuis autem usque ad trimatum generent, ad primum annum facere id rectè possunt, ut credit Varro: postea languidiores fiunt, nec tam bene munere illo funguntur.

151. Sus Græcè dicitur ὄσ, olim thyfus. Prisca hæc lectio: in excusis ante ὄσ. De uetere nomine suum apud Græcos auctores nihil legi, quare in re incerta fidem antiquorum codicum sequi malui. Clemens in II. Stromate refert, quendam sapientiæ studiosum uirum affirmasse suem nominatum à Græcis esse ὄσ, tanquam ὄσ, quòd uiscerationibus tantum, atq; epulis aptus esset: uerba  
 ipsius

ipsius hæc sunt: λέγεται γ' ἔν τινα τ' φιλοσοφούντων ἐτυ=  
μολογοῦντα τὴν ἔν θύρῃ εἶναι φᾶναι ὡς εἰς θύσιν καὶ σφαγῆν  
μόνον ἐπιήλειον.

Et quod nuptiarum initio. Athenæus libro 111. 151  
λαπν. olim Græcos Veneri suem mactare solitos tradit,  
atq; id testimonio ueterum confirmat. Argiuos uerò id  
etiam tunc seruare, qui ludos quibus id facerent, inde quo=  
que appellarent. ὑσηρίαν.

Et Græcæ χοῖρον. Ita emendauit è uetustis libris: in 151  
excusis enim antea Græci. Græcæ, scilicet mulieres. su=  
pra enim, Nam & nostræ mulieres maximè nutrices & c.  
respondet igitur illi parti egregiè, & Græcæ χοῖρον.

Itaq; ijs animam datam esse proinde ac salem. 151  
Vetus hæc est lectio. Eadem sententia, aut parum immu=  
tata, apud Clementem legitur: nam quæ paulo ante è 11.  
Stromate posui, hæc uerba consequuntur, διδόναι γὰρ τῷ  
δε τῷ ζώῳ ψυχὴν πρὸς θάλασσαν ἑτέρον ἢ ἐνεκα τοῦ πᾶς σώματος  
σφριᾶν. & c. Huius autem uocis Plutarchus in v. libro  
Sympos. cap. x. Stoicos homines auctores fuisse tradit,  
quæ etiam à Cicerone libro v. περὶ τελῶν laudatur.  
Nam in 111. de Natura deorum eam protulisse Chrysi=  
pum docet.

Paruæ tomacinæ, & taniatæ. In optimo libro, 152  
Comatinæ, & canatæ: nihil tamen uariaui.

In uineta. Communem lectionem nouam, falsam que 152  
putaui, ideoq; ueterem scripturam reponere malui. Et si  
illa maculosa est: poterunt tamen nunc industria erudito=  
rum maculæ inde abstergi: Vt autem quid suspicer ape=  
riam, arbitror inquinata hac uoce locum significari, in  
quo hoc etiam, quod supra de sue narrauit, factum esse ac=  
ceperit: nam in Arcadia se hoc non audisse, sed uidisse

f 5 inquit:



inquit : quod autem in sue fieri potuit propter obasita-  
tem, & stuporem illius animantis, uerisimile nullo modo  
in iuuenca est : nam nec humi iuuenca tantum iacent, ut  
facultatem muribus praebeant in corpore suo nidificandi.  
Plinius in sue hoc factum quandoq; esse tradit : de iuuen-  
ca non meminit. Pro Vineta, fortasse Veneta, aut  
Venetia scribendum est : in illis enim locis quondam ma-  
gni pecuarij. Veneti etiam Equi à Græcis poetis cele-  
brabantur, quòd illis in locis egregij essent. In Græcis  
commentarijs ἐνέπιδες ἵπποι πάλαι σεφαινοφόροι ἀπὸ τῆς  
πρόσθετον ἐνέπιδος.

152 Sed eos cum iam pasci possunt, secernunt. Di-  
uersa est uetus lectio, quæ tamen mendo non uacet : eam  
notam esse uolui, nam receptam etiam non ualdè pro-  
bo, quamuis loco non mouerim, Secundo ea cum  
iam &c.

153 In eorum foetu scrofæ. Antea in excusis Potu : in  
manu scriptis antiquioribus Petu : in semiuetere Pecus  
Foetu legi debere arbitrati sumus : quam coniecturam  
nostram tunc amabimus, cum à doctis uiris probari au-  
diamus.

153 Vestigia apparent Lauinî, quod & simulacra  
eorum &c. Ex ingenio ita emendauim, nam peruulga-  
ta lectio parùm mihi probabatur, & à uetere discrepa-  
bat : uerùm quia nolo optimum auctorem, dum purgare  
studeo, inquinare, quæ me cause mouerint, ut ita corrige-  
rem, exponam : Si inanes illæ existimabuntur, coniectu-  
ram meam explodi æquo animo patiar : Sed prius cum  
fide uetustam scripturam hîc adponam : Vestigia appa-  
rent iamne, quod & simulacra eorum. Oppidum si-  
gnificari debere deprauata illa uoce affirmarim. Laui-  
nium

nium scribi oportere suspicatus sum: nam si ex prima li-  
tera L. fiat, in quo sepe peccasse librarium antea osten-  
di, non ualde à Lauini notæ illæ remotæ erunt. Lauiniij  
portentum hoc Aeneæ factum esse supra M. Varro osten-  
dit, & in v. libro de lingua Latina: oppidum enim illud  
primum conditum in Latio: quare uerisimile est ibi aenea  
simulacra posita fuisse, & corpus matris etiam conserua-  
tum: cur autem in aliam urbem translatum fuerit. nec  
enim tam uetus aliud oppidum tunc erat: Alba certe  
iam pridem diruta, Lauinium adhuc stabat, quod testi-  
monio quoque Strabonis confirmatur: illius enim hæc  
uerba sunt è libro v. ἡ κωρυθαφουμένων. ὑπέρκειται  
ἡ αὐτῆς τὸ μὲν λαουίνιον πόλις ῥωμαίων ἐν δεξιᾷ τῆς  
ἀπτίας ὁδοῦ, ἀφ' ἧς ἔωσθη ἢ τε θαλάσσια καὶ τὸ ἀν-  
τιον. Dionysius Halicarnasseus totam hanc historiam  
copiosè narrat: nihil tamen quod ad loca in quibus si-  
mulacra hæc aenea suis, ac porcorum erecta essent,  
pertineat.

Cum creuerunt cupiunt sequi matrem. An-<sup>154</sup>  
tiqua lectio diuersa: non tamen adhuc aliquid ex ipsius  
parte boni elicere potui. ut alij in hoc laborare possint  
omnibus eam studiosis exponam: Cum creuerunt  
capiuntur, sequi matrem pastum, &c. Nam in  
peruulgata, Cupiunt, elegantem ulla sententiam, nisi  
fallor, non habet.

Vt desiderium ferre possint parentis. In cunctis<sup>154</sup>  
manu scriptis post Parentis, inueni Nutrices. Nec sta-  
tuere potui quid illa uox sibi uelit: an Nutricis, pro Pa-  
rentis aliqui legebant? nutricemq; matrem, dum porcos  
aleret, appellauit Varro. In recepta lectione, si integra  
est, scrupulus nullus est: negotium tantum iure nobis faces-  
sit ant

fit antiqua lectio diuersa.

- 155 Σωηπειρωτου inquit χούρση. Mendosè antea in formis excusis, Sic epirotica: & aut nullo, aut inepto sensu. Vetus lectio Sinepirotæ: quæ paruum uitium habuit: nec illud librarium fefellerat, quamuis tollere non potuisset: mendi enim notam adposuerat. Castigauit rectè (ut opinor) σωηπειρωτου. Antea Scrofa dixerat, Nunc rusus nos reddite nobis, ò Epirotæ. nam Q. Lucienus σωηπειρωτας illos appellat, ut qui pecuarias ipse quoque in Epiro haberet, & unus Epiroticorum esset.
- 155 In quo quidem inquit Vaccius. Postrema duo uerba ex antiquis libris reposuimus: hic enim Vaccij persona requiritur, sine qua posse fieri hic nonnulli putarant: quia supra pro Atticus, Vaccius legebant: nos illic etiam Atticus, in nostris inuenimus: sed paulo post Menas, in iisdem libris desideratur.
- 155 Noui, inquit ille, maiestatem. Antea in excusis, inquit Menas. ita emendauit ope uetustorum codicum: uerum quia parua licentia usus sum, totam rem patefacere uolui. In antiquis locus maculosus: ita enim habent, Inqui diue: inquit, pro inquit, illic etiam in iisdem libris scriptum inueni, inquit Atticus: & pro duobus ll, u, corruptè positum: quare sine culpa me posse, Inquit ille, corrigere ratus sum.
- 155 Vt Βούσων, Βουπιδά. Antea in excusis Βούπεινα, in optimis libris Βουπιδά legi, quam ueriores puto lectionem. Sex. Pompeius, qui à Varrone totum locum accepit, inquit, Bulimon Græci magnam famem dicunt assueti magnis, & amplis rebus præponere Bu. Hinc est quòd grandes pueros Bupedas appellant, & mariscam ficum, Busycon.

A quo

A quo eas Græci Bugonas. Aelianus πρὶ ἰδιό= 156  
 πητ τῶν βῶων, ultimo secundi libri capite, quo laudes  
 bovm explicat, & quæ commoda ex ipsis homines ca=  
 piant, docet, hoc etiam quod nunc tradit Varro non re=  
 linquit. καὶ ἀποθανῶν δὲ βούς γυνῶν π χημα καὶ ἀξί=  
 πων. μέλιττα γούρ ἐκ τῶν ἐκείνου λειψάνων ἐκφύονται  
 βῶων φιλερρέτατον καὶ καρπῶν τῶν ἀριστῶν καὶ γλυκύων ἐν  
 ἀνθρώποις παρασκευάζει τὸ μέλι.

Quæ prægnans horda. In cunctis hic manu scri= 156  
 ptis Horda, & Hordicalia per h. in v i. autem libro de  
 lingua Latina, Forda, & Fordicidia, per f. Fordicidia,  
 inquit, à fordis bubus. Bos forda, quæ fert in uentre &c.  
 Id etiam apud Sex. Pompeium reperies, qui nunc For=  
 das, nunc Hordas boues prægnantes esse dicit. Negligen=  
 tia autem librarij id factum esse non potest, sequitur enim  
 ordinem literarum. Adeo autem uicinam naturam hæ  
 habebant, ut sæpe inter se, commutarentur.

Quam iam expertæ. Nihil uariaui: ueterem ta= 156  
 men scripturam notam facere quid nocet? in manu scri=  
 ptis igitur Exparte: corruptè sanè. quis autem scit an  
 aliter corrigendus locus sit? Nam si expertæ cepit eo=  
 dem intellectu quo Vergilius,

—altera uirgo

Alteram iam primos Lucinæ experta labores.  
 cur repudiari debent uaccæ, quæ semel tantum pepere=  
 runt? crebra uitia, quæ in excusis codicibus inuenio, me  
 fortasse sine causa quandoq; faciunt de aliquo loco malè  
 existimare.

Prior quàm posterior melior. Vitiosi hac parte 157  
 sunt antiquiores libri: sic enim habent, Prior quàm po=  
 sterior in eo prior. In optimo mendi nota adposita est.

Iugat

- 157 Iugatori<sup>n</sup> Ligustici. *Vetustissimus codex in ambabus uocibus diuersus, qui Nugatori Ligusti, habet. De posteriore uoce alibi differuimus: de priore si forte ita legi debet, Nugatorias res, abiectas, ac uiles, ueteres scriptores frequenter appellarunt. Nam Varronis ille locus è v i i. libro de lingua Latina, ita legi debet: Schamincula ab Schæno nugatorio unguento: in excusis enim libris deprauatus est.*
- 157 In Thracia ad μέλανα κόλπον. *Vera hæc lectio, fideliter in antiquissimo codice conseruata: nam in alijs inanis sedes Græcarum uocum relicta. In alijs ne relicta quidem. Strabo libro i i. τὸ ὃ σωεχὲς τὸ ἀγαθὸν ἔστι ἡδὴ σὺν τῷ μέλανι κόλπῳ καὶ τῷ ἑλλησπόντῳ. Herodotus quoque non semel huius loci mentionem fecit. Nam in Polymnia hæc ipsius uerba sunt: Ἐνθεῦτερ δὲ χάμπῳ τὸν κόλπον τὸν μέλανα καλεόμενον, καὶ μέλανα ποταμὸν, οὐκ ἀνπαχόντα τότε τὴ σραῖν τὸ ῥέεθρον. &c.*
- 158 Vos uideritis, inquit, mihi qui Aristotelem legitis. *Duo hic uerba ex antiquis codicibus restitui-  
mus.*  
Exemptis testiculis. *Hoc Aristoteles in extremo libro nono de natura animalium tradidit: locus tamen in excusis codicibus, & in manu etiam scripto, quem habui longè emendatiorem, deprauatus. Theodorus sanè hanc inde sententiam eruit, siue meliores codices habuit, siue ex ingenio ita legendum esse uidit. Nam Varro etiam sententiam illam (nisi fallor) confirmat. In primo autem libro de ortu animantium eandem rem Aristoteles narrauit: ubi uitium uerba non habent: καὶ ἡδὴ ταῦθ' ἔστι μετὰ τὸ ἐκπομῶν ὀχεύσας ἐνθὲως ἐπλήρωσε.*
- 159 Atticus centum uiginti habet. *Optimus codex inquit*

inquinatus : habet enim Centaurum uiginti.

Quod faciunt Peloponnesij. Antea Peloponnesi- 159  
ses, ex optimis exemplaribus ita emendaui. Rectè dici  
Peloponnesij, manifestum est. Stephanus etiam πελοπον-  
νησι δ' οὐκ ἰκίτωρ.

Vnum ferum quos uocant onagros. Apud Su- 159  
dam Caudò insula prope Cretam esse traditur, in quo ma-  
ximè gignerentur onagri.

Alterius anni pariant. Vtusta hæc lectio, an- 160  
tea mendosè, Alternis annis. Paulò post, ubi in excu-  
sis, Quod remissione laboris fit deterior. In antiquis,  
Sic deterior. Arbitror legendum, hic deterior: ex prio-  
re uoce s, ut opinor, consequenti huic adhæsit, & aspi-  
ratio, quemadmodum saepe, desideratur. communis etiam  
lectio commoda.

Q. Modius Equiculus. Ita emendaui auxilio ue- 160  
tustorum codicum, in quibus, Que modius, legitur.  
Ferè autem ueteres librarij cum Q. prænomen scri-  
bendum esset, Que imperitè scribebant. in optimo exem-  
plari mendi nota hic adposita est.

Quod equus x x x. mensium. Quemadmodum 161  
in primo libro multa Varro à Theophrasto sumpsit, ita  
in secundo hoc plurima ab Aristotele mutuatus est : que  
quia faciliè inueniri possunt, & alijs nunc rebus studeo,  
non curiosè ostendam. Hic certè locus inde translatus  
est : in libro v i. de Natura animalium : Βάλλει δὲ τοὺς  
ὄντες πρώτους τέτταρας τριακοντάμηνους τοὺς μὲν δύο ἄνω-  
θεν. τοὺς δὲ δύο κάτωθεν. Βάλλει enim appellat, quod  
Varro eicere, aut anittere dentes uocat. quanquam pri-  
mum uerbum naturam Græci uerbi quo usus est Aristo-  
teles magis exprimit. Inde ἄλλοι equi appellabantur,  
qui

qui nondum dentes eiecissent. nos etiam in hac re exponenda uerbo quod his respondet familiari nostro sermone utimur.

161 Cum dentes sint facti brocchi. Brocchi per duo c c, in optimis hic exemplaribus scriptum est: ut ubi de canibus post agit iterum: Directis priusquam brocchis.

161 Spina maximè duplici: sin minus non extanti. Vetus hæc est, & uera lectio. antea in excusis Extenta, mendosè. In libro ubi selectæ sententiæ sunt de re rustica auctorum: ex Apſyrto. ἑάχιον, μάλα καὶ διπλῆν, ἑστία μὴ κερτῆν.

162 Peroriga enim appellatur &c. Optimus codex hic mendosus est, nonnulli item qui eum sequuntur: sic autem in illis est, Peroriga misit appellatur qui qui admittit. Vitium habere hanc scripturam cognouit librarius, ideoq; mendi notam ad eam adposuit. Fortasse legendum, Perorigam, sic appellatur &c. ut Perorigam cū superiore parte hæreat. E' Plinio mendū tollatur, quod in lib. viii. cap. xiii. est: Perorigam enim legi debet, ubi in excusis, pariter Aurigam, scriptum est. In antiquis certè Plinij exemplaribus, Prorigam, unius literæ diminutione legimus. Sunt & alia etiam uitia ea parte: quæ auxilio ueterum librorum tutò corrigi possunt. Sic autem totus ille locus legendus: Aequa ex causa in Reatino agro laceratum perorigam inuenimus. Nam ita etiam conueniet Plinio cum M. Varrone, qui infra hanc rem narrat. Quem Varro Perorigam siue Peraurigam, Aristoteles ἐπιμελητῆρ appellauit: ὁ ἐπιμελητῆς καλύψας τὴν μῆτέρα &c.

162 Scillæ medium conterunt. Et antiqui omnes, & quidem etiam formis excusi rectè Scillæ medium, habent

bent: in alijs improbè illa uox commutata fuit. Quod hic Varro medium in Scilla uocat, Plutarchus μέσον in lactuca uocauit. Extrema sanè pars quarti libri συμμασιακῶν uetustate, aut importunitate quorundam defecit. De quibus tamen rebus illic disputaretur, ex titulis ante librum ipsum constitutis, intelligitur: postremi autem capituli hic index est: διὰ τὴν τὸ μέσον τῆς ἑξιδυκῆς αἰ γωῶνες οὐ πρῶγουσι. Quintilij, qui ἔϕ ipsi de rebus rusticis scripserunt, cum de eadem re agerent, quod M. Varro Medium, Plutarchus uerò μέσον, ipsi πορικάρδιον uocarunt, id est medullam. Quid autem ea uoce intelligerent, planius exposuerunt: nam quod tenerum ac molle in scilla est, se intelligere dixerunt, ἔϕ quod etiam aliquis non incommodè adipem appellaret. Verba eorum quæ in xvii. Γεωπονικῶν leguntur, hæc sunt: ἔστι δὲ μὴ προσδέχοντα τοὺς ταύρους αἱ βόες, σκίλλης τὸ περικάρδιον μετὰ ὕδατος τριπλῆρον καὶ περιχρυσίον. τότε τὴν πᾶν ἀπελώτατα τῆς σκίλλης, καὶ ὡς ἂν ἔπι πῆ τὸ σίκαρ δίδου μετὰ τῆν κάθαρσιν τοῖς μορίοις τῶ βοῶν.

Itaque ut restibiles segetes essent exuētiores. 163  
Ab Aristotele hanc sententiam accepit M. Varro, quam tamen elegantissimè conuertit. Ἐνα δὲ ἐνιαυτῶν καὶ πᾶν πᾶν ἀνάγκη διαλείπειν καὶ ποτῶν ὕδατες νεῖον. Ager restibilis quis sit, ἔϕ unde uocatus, ostendit ipse in v. libro de lingua Latina.

Ne ungulas comburat stercus cauendum. 163  
Receptam hanc lectionem non damno, antiquam tamen quamuis uitiosam, inquinatamq; , notam esse uolo: Ne ungulas commurat stercus tenebat. In optimo codice mendi nota adposita est. Columella communem bene restitutam confirmat, libro vi, cap. xxxvii. pro-



uidendumq; ne stercore unguilas adurat.

163 Ut equuli consuescant. Antiqua hæc, & uera lætatio: mendum in excusos fluxerat, quod in uetustis Eculi, scriptum est, quæ scriptura imperitos fefellerat, sed non multo etiam post Eculum posse domari, in iisdem scriptum est.

163 Ab eo tempore mediocriter exercendum. In cunctis manuscriptis uno excepto Extriendum: in illo autem, qui è melioribus non est, Eximendum. Nihil uariavi, quam autem studiosis opem dare potui, dedi: fortasse etiam nihil melius querendum.

163 Equi. In manuscriptis Equis. Fortasse è quis: nam sic sæpe loquitur Varro. quæ autem in excusis erant tria uerba Alij ad prædam: in nullis à nobis manu scriptis inuenta sunt.

164 Medici pecorum ἰππιατροὶ appellati. Antea κῆνυιατροὶ, contra sententiam ipsam, & fidem uetustorum codicum scriptum erat. Quamuis medici pecorum non equos tantum curent, sed alias etiam ueterinas: tamen quia plurima sunt in equis & signa morborum, & genera curationum, à Græcis ἰππιατροὶ, ab equis imposito nomine, appellantur, inquit Varro. Hoc autem uerum esse intelligi potest ex commentario in quem collati sunt multi Græci auctores, de re ueterinaria. ἰππιατροὶ enim illic etiam appellantur, non κῆνυιατροὶ. Qui Latinis imposuerunt nomina, hoc non spectarunt: nam Veterinariam medicinam illam uocarunt, & Veterinarios medicos. unde hic nonnulli non animaduertentes Varronis sententiam, κῆνυιατροὺς perperam scripserunt. κῆνυια enim Græcis τὰ βοσκήματα.

164 Et ipsi pro se sacrificarentur. Ita emendavi è uetustis

tustis libris. Nonius de contrarijs generibus uerborum ostendit ueteres sacrificantur, pro sacrificant, dixisse: potissimumque Varronis exemplis hoc confirmat, è uarijs ipsius libris sumptis, in quibus etiam huius libri locus ille sic legitur: Ibi enim solent sacrificari lacte pro uino. Ex huiuscemodi locis cognosci potest integritas codicum M. Varronis, quos habui, & audacia imperitorum, qui quaecunque à communi consuetudine discedunt in ueteribus auctoribus deprauant.

Hec me Reatino auctore probares mihi inquit. <sup>165</sup>  
Sic in omnibus antiquis scriptum inueni: antea, Mi At-  
tice, in excusis legebatur. Consensum igitur multorum,  
ac bonorum librorum secuti sumus. Nobilitatem mulorum  
Reatinorum Strabo quoque multam esse tradit, libro v.  
Καὶ ἂν καὶ τῶν ἡμιόνων γίνῃ τῶν ῥεατίνων διωνόμασαι  
θαυμάσις.

Pertinet ad feras bestias, ac fyluestres. In maio- <sup>166</sup>  
re, ac meliore librorum parte hic locus turpiter inqui-  
natus est: Ad feras bestibus alsiluestribus alsilue-  
stres. Nec tamen maculae ipsius librarium accuratissimum  
fefellerunt: ad eum enim mendi notam adposuit.  
In uno tantum manu scripto receptam lectionem in-  
ueni.

Et potius uaris quàm uatijs. Prisca hæc scri- <sup>166</sup>  
ptura, quæ recta est: antea Vacijs, corrupte. Sic  
etiam in Pandectis Florentinis hoc nomen scriptum  
est, libro xxi. de Aedilitio edicto. L. Idem Offi-  
lius. Quæsitum est an ualbus, & blasus, & atypus,  
is'que qui tardius loquitur, & uarus, & uatius sa-  
nus sit: & opinor eos sanos esse. Huius capituli fe-  
rè omnes sententias ad uerbum à Frontone expres-

fas in x i x. libro γωωνικῶν legimus. Verum cū hęc pars in excusis nuper manca sit, non malè facturos nos arbitror si è uetusto codice illam restituerimus, qui est in Medicea bibliotheca: σκέλη δρθά. ε̄ δὲ μὴ σκαμβότερα μάλλον ἢ βλαυσά πόδας &c.

Solo nec ut corneo nec &c. Anted, Talo nec  
 366 ut corneo &c. Quę lectio facile damnari potuit: est enim multis modis falsa; quis enim talum unquam inuenit, qui non magis quàm corneus esset, ne dum mollis inueniri possit: est enim osseus. Proprio certè nomine talum in cane uocare non potuit Varro, Si Aristotelem audire uolumus, qui in 11. de Natura animantium inquit, πολυχιδῆς δὲ ὕλην ὅπῃα ἔχον ἀσράγαλον ὕπερ ὅυ δ' ἀνθρώπου. Solo, legi debere arbitratus sum, quòd hoc aut illo modo factum magnas utilitates præbere potest, aut impedimenta cani ad currendum, & ingredendum. Solum autem infimam partem pedis, pellem que illam appellari manifestum est, uel testimonio Ciceronis, qui ita conuertit ex epistola Anacharsidis ὑπόδημα, δερμα ποδῶν. Calceamentum, solorum callum; cum enim accuratè singulas partes pedis exponeret M. Varro, non debuit hanc tacere: nam quod nec corneum, nec nimium durum, sed fermentatum ac molle esse uult, has omnes naturas solum habet, & quę probat Varro ualde his canibus accommodata sunt: nam corneum alienum, & quod nimis durum etiam esset; neque enim firmiter terra hæret, aut in cursu explicatur, contra fermentatum, ac molle egregias commoditates habet. Sed hęc facillè ab his, qui naturam canum cognitam habent, aut uenationi aliquando operam dederunt, intelligentur. Veterem scripturam, ex qua ita legendum esse suspicatus sum

Sum, nunc proponam: nam illa aliquid mendi omnino habet, & maculosa à librario etiam existimata est, qui notam, quam consuevit, adposuit: Selone ut corneo, ne nimium duro, Vnius igitur literæ commutatione ex Selo, solo feci. nam extrema syllaba Ne, ab solo seiungi debet: importunè enim illi hæserat: nec tamen illa quoque uitio uacabat: Nec enim esse debuit, ut paulo post iterum, Ne nimium: pro, nec nimium. Animaduerti in uetustissimo exemplari eodem pacto alijs etiam locis Ne, pro Nec, scriptum, ut de equis: Genib. rutundis, ne magnis. In xix. libro  $\kappa\omega\omega\upsilon\upsilon\iota\kappa\omega\rho$  multa de canibus Frontonis nomine leguntur, quæ, nisi fallor, Fronto ipse è Varrone expressit: nam eundem ordinem in singularum partium natura exponenda tenet, & quæ aut probauit, aut reprehendit in canibus Varro, eadem ille aut laudat, aut damnat: nam quod ad hunc locum attinet, inquit,  $\pi\acute{o}\delta\alpha\varsigma\ \mu\epsilon\gamma\acute{\alpha}\lambda\omicron\upsilon\varsigma.$   $\epsilon\pi\iota\ \delta\epsilon\ \tau\acute{\omega}\ \epsilon\pi\iota\beta\alpha\acute{\iota}\nu\epsilon\iota\upsilon\ \pi\lambda\acute{\alpha}\sigma\upsilon\omicron\mu\acute{\epsilon}\nu\omicron\upsilon\varsigma,$   $\delta\alpha\kappa\tau\acute{\upsilon}\lambda\omicron\upsilon\varsigma\ \delta\iota\alpha\theta\epsilon\tau\omega\mu\acute{\epsilon}\nu\omicron\upsilon\varsigma,$   $\acute{\omicron}\nu\chi\alpha\varsigma\ \kappa\epsilon\kappa\upsilon\sigma\tau\omega\mu\acute{\epsilon}\nu\omicron\upsilon\varsigma,$  statim que ad spinam transit. Quare cum nihil de solo dixerit, sed omnem hanc partem, quæ in cunctis exemplaribus mendosa est, reliquerit, quandoque coniecimus, inde id factum esse potuisse, quod multis antea seculis hæc macula hunc locum foedasset. De hoc tamen unusquisque ut uolet existimabit.

Hanc animaduersionem ut magis amem, facit Borghinus meus, iuuenis acutissimi ingenij, & cunctis bonis artibus eruditus: qui ea magnopere delectatur, ad eamq; me primo excitauit, & non parum admuniculatus est, cum in sermone de hoc deprauato loco cum eo disputarem.

167 Pastores ut deducerent in metapontinos saltus, & Heracleæ emporium. Hunc locum in cunctis manu scriptis mancum, decurtatumq; inueni, nec tamen communem lectionem uariaui. Vetus tam hic proponam, si forte aliquis maiore ingenio præditus illius auxilio locum restituere possit: Pastores ut dedurent in metampinos saltus, & traclepore, inde cum &c. In optimo codice mendi nota adposita est. Metapontum & Heracleam oppida fuisse in ea parte Italiae, quæ olim Magna Græcia uocata est, omnibus notum. Metapinum ostium Rhodani fuisse, unde Metapini saltus appellari potuerunt (si forte ita legendum est) Plinius libro III. capite IIII. ostendit: non longeque ab eo oppidum Heracleam uocatum, aliquos tradere auctores idem affirmat. Sed omnia in tam corruptis uestigijs incerta, & tenebrarum plena sunt.

167 Ad pastores redierunt. Acutam uocem Diogenis qua Platonem acerbè momordit, ab illo lacepsitus, commemorare libet: ut animum ex his minutis, molestis que animaduersionibus paulum reficiamus, est autem ualde ad hunc locum accommodata. Disserebat de grauioribus aliquibus rebus Plato, præsentem Diogene, parum tamen attendente. Molestè id tulit Aristonis filius, aitq; Audi uerba mea canis. Minimè perturbatus Diogenes, respondit: Atqui ego in illa loca non redij, in quibus uenditus sum, quod canes facere consueuerunt. Obscurè tangens ipsius in Siciliam reditum. Aelianus hoc refert in libro πρὸ τοῦ κλάυτος ἰσορίας. Molonis etiam magni illius rhetoris uox circumfertur, qui hostili animo præditus aduersus Platonem, dicere solitus erat, Nemini mirum uideri debere, si Dionysius Corinthi, sed potius si Plato Syracusis.

Erat

Erat autem prouerbium, nunc etiam satis peruulgatum,  $\delta\iota\omicron\nu\sigma\tau\omicron\delta\epsilon\ \epsilon\pi\ \kappa\epsilon\pi\lambda\upsilon\theta\omicron\varsigma$ . A multis denique profectio illa Platonis in Siciliam damnabatur, quare uerius potuit eum Diogenes insimulare, quod cum prauum, infidumque animum regis expertus esset, potestati eius se iterum commisisset. Hoc autem Diogenes ἀπόφθεγμα alter quoque Diogenes in uita ipsius, quam diligenter scripsit, retulit: concisus tamen id, & in aliqua etiam re ab eo, quod supra posuimus, diuersum.

Qui uellet se à cane sectari. Sectari  $\delta\iota\omega\kappa\epsilon\delta\alpha\iota$ ,  $\alpha\iota\kappa\omicron\varsigma$   $\delta\upsilon\sigma\theta\epsilon\iota\sigma\theta\alpha\iota$ , quomodo ueteres sepe locuti sunt: quod Priscianus, testimonijs antiquorum scriptorum citatis, ostendit. 167

Sequitur quartum de emptione. Antiqui codices maculosi: nihil uariaui. ueterem tamen hinc scripturam adponam: Sed quod quarum, de emptione fit alterius, cum à priore &c. 167

Pascitur enim è culina, & ofsibus. In ueteribus hic etiam locus inquinatus, E' curia, enim: non, E' culina, habent: quid dicam nescio. Communis lectio non omnino mihi firma uidetur: è uetere autem nihil boni educere adhuc queo. Culina rustica in his & in alijs etiam libris à M. Varrone appellata est. 167

Vel etiam ut  $\mu\upsilon\theta\omicron\sigma\eta$  aperiant. Ita scriptum in uetustissimo, & fidelissimo codice inueni: quare communi lectione sublata, hanc restitui. Potuit id prouerbium, quod antea in excusis erat, intelligere Varro, nec tamen hinc adponere, quemadmodum de huiusmodi uocibus peruegatius ueteres scriptores sepe faciunt. 167

Tunc enim dicuntur catulire.  $\Sigma\kappa\upsilon\lambda\alpha\eta$  hoc Græci appellat. Aristoteles libro v 1.  $\pi\omicron\sigma\tau\omicron\iota\ \tau\omicron\omega\omega\eta\ \iota\sigma\sigma\tau\iota\alpha\varsigma$ .  $\delta\delta\kappa\epsilon\tilde{\alpha}$  168

ὁ σκυῶν τὸν ἴσον χρόνον κύων. Et paulo post: τὰς γὰρ πᾶσι  
 σὺς δοκεῖ σκυῶν ἡμέρας τέτταρας καὶ ἄλλα. Theodorus  
 nunc Canire, nunc libidine teneri, interpretatus est:  
 quandoq; etiam Prurire uertit.

168 Primum leuibus uinclis, quæ si &c. Antiqua  
 hæc est lectio: in excusis antea, Leuibus numellis, quas &c.  
 quæ lectio probari potuit, nisi ueteres omnes libros con-  
 tra se habuisset: Sex enim Pompeius inquit, Numella ge-  
 nus uniculi, quo quadrupedes deligantur.

169 Et si alter indefinenter æger est &c. Et uo-  
 cem, Indefinenter, & sententiam quæ ex ea conficitur,  
 parum probavi: & quod magnum apud me semper pon-  
 dus habet, ueteres libros diuersos inueni. Sunt illi qui-  
 dem hac parte inquinati, possunt tamen nobis commu-  
 nis lectionis uitia, si non aliud, indicare. Hæc uetus est  
 lectio, quæ ne aliquem falleret, in optimo exemplari no-  
 tam adpositam habebat: Et si alter uidem fiter æger  
 est. Ut quid de hoc loco sentiam liberè loquar, suspi-  
 cor, aut Identidem, pro Indefinenter, legendum esse:  
 aut uerba illa deformatâ uacare: quod negligenter li-  
 brarius aliquis superiores uoces, hîc etiam non suo loco  
 scripsisset, & eas etiam mendosè, & corruptè scripsisset.  
 Intellego illas, Altero idem fit acrior. Ego ingenuè quid  
 conijcerem exposui, alij fortasse melius, ingeniosiusq; lo-  
 cum restituent.

170 Galli appositissimi, maximè ad iumenta. Ita ca-  
 stigauî: antea, Appositi, sed maximè, &c. cuius le-  
 ctionis languorè faciliè, ut arbitror, intelliget, qui attentè  
 perspiciet. Antiqua lectio manca, quæ tamen tutò posset  
 corrigi: Galli appositissi maximè, &c. In optimo codi-  
 ce nota, quæ locum mendosum esse indicaret, apposita erat.

Cui

Cui potuit cedere. *Vetusta lectio diuersa, & ut ar-* 170  
*bitror, corrupta, Cui potius cedere. Sic etiã non mul-*  
*to post locus ualde mendosus: Vnius cuiusque gisues*  
*gregis. hæc enim satis est indicare, propter auctoritatem*  
*librorum: neque enim aliud adferre possum, ad restitu-*  
*endos locos, idoneum: qui tamen fortasse nulla indigent cor-*  
*rectione.*

Tremellius simul aspicit ad me. In optimis exem 171  
*plaribus nusquam hic Tremellius: sed pro illo, Semel:*  
*Semel simul aspicit ad me. Fortasse rectè locus resti-*  
*tutus est, & concisè olim Tremel. legebatur: ex quo ne-*  
*gligenter ab imperitis librarijs Semel factum sit.*

Leuuncidas, ac contemnendas. Locus turpibus 172  
*maculis foedatus, de quo ante etiam locuti sumus, cum de*  
*alio, qui item (ut opinor) in eodẽ uerbo inquinatus erat,*  
*ageremus. Prima fortasse litera, nota illa est, quam sæpe in*  
*antiquissimis libris diximus inueniri: quod si reciperetur,*  
*non ualde discreparet uox, quæ relinquitur, ab ea, quam*  
*antea in primo libro inuenimus: nam supra, Eiuncidum*  
*enim sarmentum, &c.*

Prægnantem sæpe cum uenit pariendi tempus. 173  
*Multa de incredibili fortitudine barbararum mulierum*  
*Clemens narrat in IIII. libro  $\sigma\omega\mu\acute{\alpha}\tau\omega\upsilon\upsilon$ . nam foeminas*  
*prope Hiberiam esse tradit, quæ prægnantes idem, quod*  
*hic de Illyricis Varro retulit, faciant. uerba ipsius adpo-*  
*nemus: οἶδα καὶ πλησίον τῆς ἰβηρίας γυναικας ἔργω καὶ πό-*  
*νη χωμένας ἀνδρικῶ: καὶ πρὸς τοῦ ἀποκυδῆ γενῶν) ἔδλῃ*  
*ἀνιέθαι τὴ πρακτέων, ἀλλ' ἐν αὐτῇ πολλάκις τῆ ἀμίλλη τῶν*  
*πόνων ἢ γωῆ ἀποκυήσασθαι βρέφθ ἀνελομένη οἶκασθαι φέρει.*

In gregibus ouium, sed magnis. Antiqua lectio 174  
*diuersa, sed quæ corrupta adeo sit, ut eam explicare ne-*

g s queant



queam: ipsam hinc adponam, Greges ouium sed magnum. Nec multo post, ubi in excusis, Possunt: in iisdem antiquis, Possit.

171 Ut sunt Attici, & mei: septingenarij enim mei, tu opinor, &c. Auxilio antiquorum codicum, adhibita paruula industria, locum (nisi fallor) purgavi: antea enim maculosus erat, & in excusis omnibus ita legebatur, Ut sunt Attici. Tremellius, septingenarij enim mei ut opinor tu, &c. Ut tamen studiosi rectè de hoc iudicare possint, ueterem lectionem cum fide adponam: Ut sunt & ait tici, & mei, septingenarij enim me tu opinor, &c.

172 Est enim lac omnium. Medie duæ uoces in antiquis non leguntur, & fortasse sine illis integer sermo est: ut initium sit orationis eius, qui de lacte differit. Est, de quo tu scire uis, lac inquam omnium, &c. Apud Nonium elegantissima Varronis uerba leguntur de natura lactis, De liberis educandis: Eam nutricem oportet esse adulescentem: anuis enim ut sanguis deterior, sic lac: lac enim, ut quidam dicunt Physici, sanguinis spuma est.

172 Quas cibi causa capimus. In Lexicis quibusdam hic Varronis locus adducitur, & Cibali legitur: uetus autem illud, ac inusitatum uerbum esse traditur. In uetustissimo libro Cibali, scriptum est, & in alijs item nonnullis.

172 Arido, & firmo cibo pecude pasta, id alibile. In nullis manu scriptis postrema duo uerba legi.

172 Ad perpurgandum id, quod à uiridi, &c. Corruptissimus hic locus est in omnibus antiquis codicibus. Receptam igitur lectionem retinui: nunc ueterè scripturam, cum maiorem nullam opem studiosis adferre queam, notam faciam, & eam totius perioches, ne iterum eadem  
repet

repetendo frustra laborem, aut eos, qui hæc legent, magis perturbem : Ad perpurgandum ea, quæ auuridipaseo magis si ussæ ex herba, quæ ipso sumptæ perpurgare solent corpora nostra. Mendi nota hic adposita in uetustissimo exemplari. quod si ullus locus merito, hic optimo iure damnatus erat.

In lactis duos congios addunt. Excusi antea habebant, Lactis duobus congijs, &c. manuscripti omnes, quos uidi, Lactis duos congios. uestigia ueteris lectionis secutus, ex ingenio emendauit, In lactis, &c. 172

Quod Græci appellant alij ὄπῶρ, alij δάκρυον. 172  
Hunc locum, adiutus ab optimo exemplari, commodè (nisi fallor) emendauit : erat autem ille in excusis codicibus mendosissimus : quis enim unquam audiuit Draconem ad coagulandum lac adhiberi ? quanquam alium esse M. Varronis uerborum sensum puto : Quod Græci appellant, &c. quod, scilicet lac de fici ramo, alij ὄπῶρ, alij δάκρυον appellant : omnes enim qui in Græcis auctoribus diligenter uersati sunt, humorē stirpium aliquarum (quem in fico Lac, appellat Varro, & nos etiam ita familiari nostro sermone uocare cōsueuimus) ab illis ὄπῶρ, & δάκρυον dici nouerunt. Et si hoc satis manifestum est, tamen posterioris uocis, quæ hic deprauata erat, exempla e nobilissimis auctoribus afferam. Aristoteles libro 1 x. de Historia animalium : φέρουσι τῶν τ' ἄλλων ἀνθέων καὶ ἀπὸ τ' δένδρων τὰ δάκρυα. Theophrastus libro primo φυτῶν αἰπιῶν. τὸ γὰρ ἡρῶ πολλὴ λίαν ὑγρότης πρὸς τὸ διατηρεῖν ἕως ἐπὶ μέγεθ' δάκρυον. Idem politissimus scriptor in eodem libro ambas uoces coniunxit : ὅτι ἡ δὲ πάντων οἱ ὄσοι καὶ τὰ δάκρυα γυνητικὰ πρὸς τὰς ἐπάνω καὶ πρὸς τὰς αἰτίας ἀνεκτείνουσι. In VI. autem consuetudinem sermonis exposuit

suit, & quid ipse de hac re sentiret, timidè tamè, indicauit:  
 ἀλλ᾽ οἱ ἡ τὰ μὲν ὀπίσ, τὰ δὲ ὄπισ, κρινότορον ἡ δὲ ὀπίσ:  
 διαφέρει ἡ ἴσως ἕδερ. Qui autem prima hæc Theophras-  
 ti uerba diceret Varronem expressisse, fortasse non pec-  
 caret.

172 Alij ὀπίρ. Ab hac uoce ὀπίρ, caseum appellauit  
 Cyclops apud Euripidem, acrem, & ad quem cogendum  
 fucus è fici ramo adhibitus esset:

Καὶ πρὸς ὀπίρ ἐστὶ καὶ βοὸς γάλα.

quem uersiculum ipsius intellexit Athenæus libro Διαπύ-  
 θρισῶν. Εὐριπίδης ἐν κύκλωπι ὀπίρ καλᾷ πρὸς κρ ἑπι-  
 κύρ, κρ πηγνύμενος ἔσθ τ συκῆς ὀπίρ.

173 Mammæ enim rumis, siue rumæ. Nihil uaria-  
 ui, antiqua tamen lectio diuersa: ut accuratè ponderari à  
 studiosis possit, eam hic adponam: Mammæ enim ru-  
 mus siue ruminare ut, &c. Locum alium Varronis à  
 Nonio citatum, ubi de eadè re agitur, ad hunc adiungam.  
 Cato uel de liberis educandis, Rumine propter rumam:  
 id est, prisco uocabulo Mammam: à quo Subrumi etiam  
 nunc dicuntur agri.

173 Alij uellera, alij uelumia. In antiquioribus Vel-  
 limna. non multo post ubi in excusis, Quod languidæ  
 minus radices lanæ retinent. in ijsdem uetustis libris, una  
 plus dictio legitur, Quod languidæ minus ægræ ra-  
 dices, &c. corruptè ut arbitror: & ut unde mendum or-  
 tum putem dicam: Declarationem fuisse uocè, quæ addita  
 est, suspicor, prioris illius, Languidæ, quæ temerè postea  
 à librario in contextum sermonis Varronis coniecta sit.

174 Et in Comædijs, qui in rustico opere. Loquitur  
 nunc de Comædijs, quas nouas appellabant: priscarum  
 tamen etiam Poëtæ ostendunt, hoc uestitu pastores usos  
 fuisse

fuisse, ut Aristophanes in νεφέλαις: inducit enim Strepsiadem cum filio ita loquentem,

ὅταν μὲν ἔν τὰς αἰγὰς ἐκ τῆς φελλέως  
ἴσασθαι ὁ πατήρ σὺ διαθέραι ἐνημένῳ.

Nam διαθέραι etiam ueteres appellasse membranas, in quibus, ut nos quoque facimus, scriberent, ostendit Cicero in epistola ad Atticum, cum de parte suorum librorum, quos de Academicis questionibus conficeret, ut ad Varro-  
nem mitteret, loqueretur: Inquit enim, Quatuor διαθέραι sunt in tua potestate. Idem etiā significabatur pro-  
uerbio illo, quod dicebatur in eos, qui nimis uetusta referrent, ἀρχαιότῳρα τῷ διαθέραι λέγειν: Adagium apud Sudam explicatum.

Neque ab hoc quod mutaret Cosinius. An-  
174  
aduertendus modus loquendi: est enim elegans, & ab optimis auctoribus usurpatus: Nihil mutauit ab hoc: id est, quod illi dixerant, Probauit, nec in tam longo sermone uidit, quod reprehenderet, aut aliter melius dici posse, putaret. Cogitandum, an eodem intellectu ceperit M. Tullius, cum in xiiii. libro epistolarum ad Atticum de Cæsare dictatore loquens inquit, Tum audiuit, De Manurra non mutauit: id est, quod factum erat laudauit, & ratum esse uoluit. In iii. Philippica de sorte prouinciarum loquens: O felicem utrunq;: nihil enim mutauerunt. id est, sorte contenti fuerunt, & res melius cadere non potuit. nam pro domo sua plenius loquitur: Cui quidem cum Ciliciam dedisses mutasti passionem. Commutare uerba, altercari significare, planum omnibus est, uel ex Terentio, qui non semel ita locutus est: quare accuratè animaduertendum, an mendum sit in uersiculo Silij Poëtæ, qui est in primo libro: sic enim legitur,

Stan

Stantem pro muro, & mutantem membra Caicum, cum pro Membra, Verba, legendum sit, ut opinor: Mutantem uerba, id est altercantem, conuicia facientem, & maledicta dicentem.

174 Ad Vitulū. Niger in Turrani nostri: illi partim, &c. In uetustissimis etiam codicibus locus deprauatus: secutus ueteris lectionis uestigia, ita emendauit: nec tamen firmam emendationē hanc puto. Niger enim Turrani cognomen erat, non ab illo diuersus: nisi aliquis eodem cognomine, ac diuersae familiae fuerit: aut eiusdem cognominis, ac gentis, qui praenomine distingueretur. Antiquam hinc scripturam ponam, quam studiosi accuratè perpenderent: Ad Vitulum. Niger in Turrani in oste, illi, &c.

## IN M. V A R R O.

NIS, R E R V M R V =

S T I C A R V M

L I B R V M

III.

176



Q V O D & in pace à rusticis L. alebantur, & in bello ab ijs tuebantur, Hunc locū in cunctis manu scriptis mendosum inueni: cum autem nihil ab excusis uariauerim, ueterem scripturam nunc indicare uolo: in qua idem uerbum secundi membri finis est, quod primi: id est, Ab ijs alebantur, in uetustis codicibus, ut supra A rusticis hominibus alebantur, legitur. Non tantum autem hoc admonui, offensus rariore significatu eius uerbi, quod in omnibus nunc excusis est, quam